

quoque loco. Sed nos hanc, ut Latiniorem, & ab eruditius magis receptam, sequi maluimus.

Præterea & hoc videtur notandum, apud antiquos nullum fuisse numerum ultra centena millia, teste Plinio. Quod etiam Macrobius lib. 1. de somnio Scipionis, testatur, ubi inquit: Duplicatis igitur illis, quadragies octies centenis millibus, erit integra diametros cælestis circuli nonagies sexies centena milia stadiorum, ubi idem numeros sextum locum excedentes aduerbialiter exprimit. De his in Latinis suis Gram. Philip. Melanth.

DE ADDITIONE.

Additio est plurium numerorum in unam summam collectio. Sumiturque initium à dextris.

Quo nomine appellantur singuli numerorum ordines in additione?

Numeri qui debent colligi siue addi, vocantur addendi: quod verò ex additione prouenit, dicitur Productum.

Quo pacto collocandi sunt numeri in additione?

Ita, ut à latere dextro factò initio, ponantur primi sub primis, secundi sub secundis, &c. Quo factò linea subducenda, ac inferior superiori addendus, productum linea subscribendum, ut: